

UM
RUM
E
EINZIA
UM



VIRI
DISQUISITIO VICESIMA QUINTA
DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio Vicesima Quinta

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore


Respondente

JOHANNHE HEINRICO ANDREÆ

Budissa-Lusato.

Dominica Misericordias Domini.

A.O. R. cl. lxxiii.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-

schlegelij

VIRIS.

*Magnificis, Amplissimis, Consultissimis
iuxta & Excellentissimis*

DN. HEINRICO SÄRTNERN / J. U. D.
ELECT. SAX. à rationibus officiali gravis-
simo, olim Budiss. Consuli dignissimo,
Susceptori meo honoratissimo.

DN. ANDREÆ BERNHARDO LEHMAN-
NO, Medicæ Facultatis D. celeberrimo,
inclutz Budissinensis Reip. Consuli meri-
tissimo.

VT ET

*Clarissimo, Humanissimo, Spectatissimis quâ
virentis quâ eruditionis laude conspicuis,*

DN. M. JOHANNI THEIL Poëtæ Lau-
rea Casariana insigni, Rectori Scholæ pa-
triæ vigilantissimo, olim præceptor
meo colendo.

DN. AUGUSTINO ANDREÆ. Civi
Zittaviæ primario, seni octuagenario,
avo meo multo honore venerando.

*Dn. Patronis, Evergetis ac Promoto-
rib9, imò Parentum loco habendis*

*Hoc quicquid est Theologicî tiro-
cini*

*In gratæ mentis tesseram, ulterio-
orisq; promotionis illecebram*

Sacrare

uti debuit, ita voluit

Respondens.



ANALYSIS
EVANGELII

Dominicæ Misericordias Domini.

Johann. 10. à v. 11. usq; ad 17.

ANTELOQUIUM.



Item de summo Sacerdote, inter Moysen, Cohre, Dathan, & Abiram, DEUS sic composuit Num. 17. 3. fuisse tribuum duodecim Principes singulos, singulas virgas in tabernaculum inferre, cujus mane floruisse virga, eum placere, adiecit. Floruit, fronduit & fructum tulit Aaronitica. Geminum litigium inter Pharisæos & Christum, quis nam sit verus Doctor? Ideoq; virga Iesæ floruit, fronduit & fructum attulit; qui est IESUS CHRISTUS, propterea etiam verus Doctor & Pastor. Id quod uberius habetur in Pericope Evangelica: de qua

U

THE-

THESIS I.

Probat^{ur} autem in ea, quod sit Pastor partim argumento desumpto ex potentia, qua ostenditur tum positivè, & est: ovium redemptio. v. 11. In quo partim est propositio continens officium respectu subjecti, dum Christus inquit: Ego. Qua voce sicubi utitur, semper peculiariter quippiam denotatur, ut videre est Ioh. 8, v. 12, 18, 23, 58. cap. 14, 6. dum respicit in V. Testamentum Exod. 3, 14. ubi Filius Dei etiam solatur Moysen hac voce. Ideoq; intelligitur omnino Θεὸς ἰσχυρός, ille Dei & Mariae filius. Ut discamus Personam dicentis ubiq; observare.

2. Et respectu prædicati ratione officii: Sum Pastor. Non dicit ero vel fui, sed sum, quo ipsius officii perpetuitas denotatur. Et Pastor quidem appellatur, quia prædictum Esa. 40, 11. quia est pastor animarum 1. Petr. 2, 25. Ut discamus ipsum nos pascere, simulq; observemus fastidiosum titulum alium noluisse. Et cum addatur in græco articulus, expresse innuitur, non esse quemvis pastorem, sed illum Pastorem i. e. excellentem, qui in scriptis olim Prophetarum erat promissus. Esa. 40, 11. Ier. 31, 10. Ezech. 34, 23. Nempe ratione officii Sacerdotalis, dum ponit animam suam Acto.

20, 28. ratione officii Prophetici, dum pascit
 oves suas docendo & querendo Iob 18, 9. ratione
 officii Regi protegendo & ministros Ecclesie
 mittendo Eph. 4, 8. Et per jucunda est res pa-
 stor, habet Basilius Seleucensis orat. 16. in
 montibus pascens ovium greges, & fistule sono
 ad pascua eos exciens; qui calami modulatu
 delectatus etiam contra ferarum insultus cam-
 paratus est; qui baculo & armis in eas armatur:
 talis magnus hic gregis Christiani pastor, nam
 piis carminibus greges nutrit, arma que ad im-
 pietatis everfionem faciunt, negligere non solet,
 imò verò cantillans, que sunt spiritus, etiam
 in lupos arma capit. Magnum itaq; te Pastro-
 rem video, Domine Iesu, inquit Augu-
 stinus serm. de Cataclysmo, oves pascen-
 tene. Non ergò Pastoris titulus est ignomini-
 osus, nec enim Deus pascere homines erubescit
 inquit Basilius l. a.

3. Et ratione beneficii accedentis:
 Bonus. Sive Ille bonus, uti græca lectio innu-
 it, ut, qui solus bonus solus etiam Pastor, solus
 pastorum pastor, Chrysologus serm. 40. Ba-
 nus autem est, impense nos diligendo, preciose
 redimendo, intime cognoscendo, laute pascendo
 sollicite ducendo, secure collocando. Non
 est Pastor, qui ovibus invideat, ut Pha-

risai, non qui collata in gregem beneficia sua
 ducat supplicia, ait Basilius. Sed tu Domine,
 inquit idem, bonus pastor, qui bonus agnus,
 habet Augustinus serm. 50. de verbis Domini
 idem pastor & pascua. Nemo ergo se dicat
 pascere praeter ipsum, ipse pascit oves & qui
 vult pascere, in illo pascat. Ut discamus illum
 esse bonum Pastorem, qui in Christo & cum
 Christo pascit.

4. Partim est ratio, cuius iterum
 subiectum à qualitate: Bonus Pastor. Quod
 repetitur per Epanadon, ut ostendatur, qualem
 intelligat pastorem, non quemvis: nam & alii
 sunt pastores Ier. 3, 15. Eph, 4, 11. sed ipse est
 primarius seu Archipastor 1. Petr. 53, 4. Ps.
 23, 1. Illi sunt unius membra Pastoris, habet
 August tract. 44. in Ioh. Et denuo se pasto-
 rem nominat propter officium, quod ge-
 rit, iuxta Nazianzenum orat. 15. de filio, ut
 qui loco herbido stabulet, ad aquam quietis pa-
 stum praebeat, inde via dux sit, adversus belu-
 as propugnet, reflectat id quod errat, amissum
 reducat, fractum obliget, languidum corrobo-
 ret, validum custodiat, per sermones pastorii-
 tia scientiae ad causam suam colligat. Et bo-
 nus non tantum est, sed & ipsa bonitas Matth.
 19, 17. dum servat bonitatem in millia Exod.
 34, 7.

5. Et

5. Et predicatum à proprietate: Animam suam ponit pro ovibus. *Qua est infallibilis fidelissimi pastoris erga oves suas nota. Et per Animam intelligitur metaphoricè vita. cuius causa est anima Gen. 37, 22. Per oves verò metaphoricè homo pius Es. 40, 11. Ps. 79, 13. Non quasi sic pro solis ovibus & piis sit mortuus. siquidem exclusiva non habetur: sed potius legitur pro omnibus mortuus 2. Cor. 5, 15: pro totius mundi peccatis 1. Joh. 2, 2. etiam pro iis, qui celeritatem interitus sui incitant 2. Petr. 2, 1. qui filium Dei conculcant, & sanguinem Testamenti prophanant Hebr. 10, 29. qui rursus Christum crucifigunt Hebr. 6, 6. Unde Prosper in responsis & capitula Gallorum cap. 9. inquit: Nulla ratio dubitandi est, Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, a quorum numero liber invenire est, non est pro omnibus mortuus, sed propter omnibus est mortuus, quia omnes oves erant errantes Esa. 53, 6. Interim pro omnibus quidem fusus est sanguis Christi, habet Primasius in c. 2. 1. Tim sed credentibus prodest. Discendum autem Christum bonitatis suae formam reliquisse nobis, ut imitemur, habet Gregorius Hom. 14. in Evangel. Nunc autem Pastores ovibus mortem inferunt, ait Iliodorus Pelusi-*

lucrosa epist. 223. non corpora ingulantes, levi-
us enim hoc malum est, verum animis offensio-
nem afferentes.

6. Tum comparatè & quidem con-
trariè, ubi est cum fugæ acceptatio v. 11. In
quo iterum subjectum in genere, ratione ap-
pellationis: Mercenarius autem, h. e. mer-
cede conductus: qui eam respiciunt, h. e. qui
pastoris locum tenent, ut habet Gregor. hom.
14, in Evangel. & lucra animarum non que-
runt, terrenis commodis inhiant, honore præ-
lationis gaudent, temporalibus lucris pascun-
tur, inpena sibi ab hominibus reverentia le-
tantur. Quorum Deus venter est Phil. 3. 19.
ventres pigri 1 Tim. 10. pascentes se ipsos Ezech.
34. qualis erat Bileam Num. 22, 17. Levita
de Bethlehem Jud. 18, 19. filii Eli 1. Sam. 2, 13.
Pharisæi, comedentes domus viduarum Matt.
23, 14. mendacium annunciantes Ier. 4, 10. qui
propter pugillum hordei & fragmen panis vivi-
ficant animas Ezech. 13, 19. in malitia regem
lasciviant Hos. 7, 3. Non verò operarii in-
telliguntur genuini, quibus debetur merces
Math. 20, 10. 1. Tim. 5, 18. 1. Cor. 9, 14. sed
qui ita prepositus est, habet August. l. de pasto-
ribus c. 1. ut in eo, quod prepositus sit, gaudeat,
ut honorem querat, & commoda sua respiciat;
ille

ille enim se pascit & non oves, quiq; plus terrenā substantiam, quā oves diligit, merito nomen pastoris perdit, habet Cyrillus l. 7. in cap. 5. Interim mercenarios non nisi Dominus discutit, qui cor inspicit, ipse discutit, ait August. Tract. 46. in Joh. aliquando tamen intelliguntur à nobis, addit ille. Non enim frustra dicit, etiam de lupis, ex fructibus ipsorum agnoscetes eos. Unde pauci pastores, multi mercenarii. Quanquam mercenarii etiam necessarii sunt, ait idem: multi quippo in ecclesia terrena sua commoda spectantes Christum tamen predicant, & per eos vox Christi auditur; & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Nolite v. esse mercenarii, cum sitis membra Pastoris.

7. In specie describitur negativè respectu vocationis: Qui non est pastor. Id est verus. Non habet vocationem legitimam, sed solius stipendii causa & dignitatis gratia singulis ferme annis mutat parochiam: officio quidem est, sed non animo; titulo, non facto; ore non corde; nomine, nō re. Qui oves Dei veniunt pascere, intellige doctrina incorrupta verbo & vita inculcata exemplo, non merentur nomen pastoris secundū rei veritatem; quique conciones præscriptas ad populum sine Zelo habent,

Et an proficiant auditores parum curant: similes iis, qui fistula utriculari ovium gregibus suaviter fistulando praeinunt, de pastibus nihil solliciti, sed pro lubitu aberrare eas oves sinunt.

8. Respectu possessionis: Cujus oves non sunt propriae. Dilectione & affectu, licet proprie sint officio; qui non auditores suos ut proprios liberos diligit, & de iis rationem reddendam esse pastori principi non cogitat. Ut discamus fidelitatem esse in officio adhibendam.

9. Et praedicatum ab effectu, cuius antecedens respectu causae impellentis: videt lupum venientem. Per quem partim Diabolus intelligitur Joh. 8, 44. per quem partim falsi Doctores Matth. 7, 15. & persecutores Act. 20, 29. Et ita utrum pastor sit vel mercenarius quispiam cognosci veraciter non potest, habet Gregor. hom. 14. in Evang. si occasio necessitatis de est: tranquillitatis enim tempore plerumq; ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic & mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat.

10. Respectu formae tum: & deserit oves. Dum tacet, dum obmutescit. Idque fit

fit animo, dum non latrat, Esa. 56, 10. dum pul-
villos consuit Ezech. 13, 18. omittendo scilicet
officium.

11. Tum, fugit. Non quidem mutan-
do semper locum, sed subrahendo solatium, ha-
bet Cyrillus lib. 7. in Johan. c. 3. Et ita fu-
git, quia iniustitiam vidit, & tacuit. Fugit,
quia se sub silentio abscondit, ait Gregorius
Hom. 40. in Evang. Peccantem non audet
liberè redarguere, inquit August. Tractat. 46.
in Joh. ecce nescio quis peccaverit, graviter
peccavit, increpandus est, excommunicandus:
inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potue-
rit. Jam ille, qui sua querit, non qua Jesu Chri-
sti, ne perdat, quam sectatur humana amicitia
commoditatē, & inimicitiarum humanarum
incurrat molestiam, tacet, non corripit, & post:
Fugisti, quia tacuisti, tacuisti, quia timuisti.
Fuga animi timor est, corpore stetiisti, spiritu
fugisti, quod ille non faciebat, qui dicebat: Et-
si corpore absens sum, spiritu tamen vobiscum
sum, ait Augustinus. Tract. 46. in Joh. Unde
qui gregi praesunt, quum lupi irruunt, fugere
nec decet, nec licet, inquit Tertullianus de
Fugâ in persecutione cap. 11. Interim fu-
git & ipse Christus vim interdum, sed eadem
ratione, qua Apostolus fugere praeceperat, do-

nec scilicet doctrinam suam impleret, qua consummata non dico stetit, sed nec auxilium a patre desideravit, ait idem Tertullianus de Fuga c. 8. Unde Augustinus ad Honorat. epist. 118. Faciunt servi Christi, ministri verbi & Sacramenti eius, quod precepit sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus queritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed prebeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse norunt. Cum autem omnium id est Episcoporum & Clericorum est commune periculum, ij qui aliis indigent, non deserantur ab iis, quibus indigent: aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquuntur ab iis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos pater familias vult perpeti. Hinc, concludit idem. Quicumque igitur isto modo fugit, ut ecclesie necessarium ministerium, illo fugiente, non desit, facit, quod Deus precepit, sive permisit: qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius iste est, qui, cum vidit lupum venientem, fugit. Ut distinguendum sit inter
per-

persecutiones personales, & communes seu universales.

12. Consequens est de lupo, quoad quosdam: & lupo rapit eas. Quia Diabolus destitutus auxilio pastoris, facile per qualibet vitiorum precipitia impellit ac adigit. Hæreticus etiam eas errorum laqueis innectit, atq; per devia trahit errabundas. Demum Tyrannus diripit, & nullo sibi obstante conatu misere eas dilaniat, ait Cyrillus lib. 7. in Joh. cap. 5. Rapit, cum alium ad luxuriam perducit, alium in avaritiam accendit, alium in superbiam eripit, alium per iracundiam inficit: hunc invidia stimulat, illum fallacia supplantat habet Gregorius Hom. 14. in Evangel. Ideoque adversus horum luporum incursiones nos pre-munire debemus in fide, piis precibus 1. Petr. 8. 9. Eph. 6. 18. ob damni gravitatem & nostram infirmitatem.

13. Quoad omnes: ac dispergit oves. Ut alias ovis fugit lupum; sic etiam Christiani Diabolum, Hæreticum & Tyrannum, dum unitatem Ecclesie variis sectis scindit Hæreticus, dum cœtus sacros prohibet Tyrannus, & quando, ne alatur bonus pastor & fidelis doctor sive in templis sive in scholis, prospicit; & dum Diabolus qui agit per utrumq;, ex divina per-

missi

missione ad utrumq; instigat. Ut discamus
notam esse mercenarii, si hoc vel permittat, vel
etiam ipse faciat.

14. Tum ovium neglectio v. 13. In
quo subjectum: Mercenarius autem. Qui
qualis intelligatur: iam declaratum, nempe si
viderit aliquem peccare, ait Augustinus serm.
29. de verbis Domini, aut sentire secundum
perniciem animæ suæ, aut aliquod facere scele-
ratum aut obscenum; Et tamen, quia videtur
haberi alicuius momenti in Ecclesia, unde sibi
speret commoda non reprehendit, mercenari-
us est.

15. Prædicatum per positionem: Fu-
git. Dum Stationem suam deserit, neq; pu-
gnat pro ovib; suis; quando nimirum non ani-
mas, sed pecunias querit Phil. 2, 4. non oves,
sed sua curat Ezech. 34, 4. Lupum non incla-
mas, sed canis mutus est Ier. 12, 10.

16. Et per rationem tum positivam:
quia est mercenarius. Et mercenarius etiam
propterea dicitur, qui parochias precio emit
vel vendit, similis Menelao 2. Maccab. 4, 24.
non sumendo salarium, sive stipendium pro la-
bore, quia hoc dignum Matth. 10, 10. Et verbo
Dei congruum 1. Cor. 9, 14. à Deo statutum
Deut. 24, 15. aut aliud honorarium: sed, qui
Si-

*Simoniam exercet, de qua Act. 8, 18. nullumq;
præstat ministerio officium, nisi accipiat bene-
ficiam.*

17. *Tum negativam: Et oves non
sunt illi curæ. Dum cuticulam suam curat
& de necessariis sibi prospicit, ovium autem
pasturam negligit. De quibus Gregorius
Hom. 14, in Evang. Pastoris nomen perdunt,
qui plus terrenam substantiam, quam oves di-
ligunt.*

18. *Partim à prudentia, Vbi tum
de ovibus propriis, quarum est mutua co-
gnitio v. 14. In quo iterum assertio: Ego sum pa-
stor ille bonus, Hic ergo Redemptor noster cul-
pas ficti pastoris docuit, formamq; iterum, cui
debemus in primi, ostendit, habet Gregorius,
simulq; se pastorem illum esse bonum repetit.
Et comprobavit ex fidelitate & potentia; iam
probat ex sollicitudine, & denuo ex prudentia,
se pastorem illum esse bonum.*

19. *Et probatio, tum simplex ex re-
latis, ratione sui: Et cognosco oves meas.
Hæc enim est pastoris boni nota, ut sigillatim
singulas norit, non tantum in genere, sed etiam
in specie. Neque enim vox græca exprimit
nudum duntaxat affectum, verum etiam effe-
ctum. Novit ab extra, dum novit nostra no-*

658.

mina Esa. 43, 1. nostra opera Apoc. 2, 9. nostra
querula verba Es. 38, 5. nostros capillos Matt.
10, 30. 2. ab intra, dum novit quid sit in ho-
mine Joh. 6, 70. novit cordis nostri infirmita-
tem Ps. 103, 14. novit dies immaculatorum Ps.
37, 18. novit fidem Matth. 9, 2. Denique eti-
am ex certa quâpiam nota, cum coloret & si-
gnet alias tentatione, ut Paulum 1. Sam. 19, 11.
alias carcere, ut Iosephum Gen. 39. imò in
Baptismo omnibus characteres impresit. Co-
gnoscit ergo oves suas, ad eternam vitam eas
eligens & providens, ait Cyrillus l. 7. cap. 6.
in Joh. Magnum ergo est, si quis verus velit
esse pastor in quocunque statu, quia tenetur
accurate nosse. Unde, inquit Gregorius in Pa-
storali part. 1. c. 1. ab imperitis pastoribus mi-
nisterium suscipitur in magnâ temeritate,
quia ars est artium regimen animarum: &
tamen saepe, qui nequaquam spiritualia pra-
cepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri
non metuant. Verum quidem est, quod loqui-
tur Isidorus l. 3. epist. 216. si quis Episcopatum
desiderat bonum opus desiderat, Sed non dixit
unusquisq; episcopatum desideret. Non pra-
cepit, non imperavit, non lege sanxit: verum
quoniam multos esse norat, qui dominandi cu-
piditate, velut ebrietate quadam correpti te-
ne-

neventur ac virtutem quidem' minimè expe-
 terent, imperium autem affectarent adq; Epi-
 scopatus labores & sudores ac pericula minimè
 respicerent. Ad eum enim omnia (quibus
 subditi op9 habent) suspensa sunt, quæ tandem
 ista? eorum, qui divino cultui consecrati sunt,
 explorationes, esurientium alimonia, sitienci-
 um pocula, nudorum indumenta; eorum, quib9
 injuria inferuntur presidium, eorum, qui orbi-
 tatem lugent, procuraciones, viduarum defen-
 sio, eorum qui injuriarum inferunt ultiones; eo-
 rum qui flagitiose ac sceleratè imperium gere-
 re conantur, reprehensiones &c. Hac certami-
 na Episcopatus habet. Et est arduum negoti-
 um quod agrè confici potest, non ludus atq; ani-
 mi oblectatio: cura non lux9, munus referendis
 rationibus obnoxium, non imperium ab omni
 censura liberum atq; immune: paterna procu-
 ratione, non tyrannica licentia; dispen-
 satoria prefectura, non eiusmodi potestas quæ
 sub reddendarum rationum necessitatem mini-
 me cadat.

20. Et mutua, ratione ovium: Et
 cognoscor à meis. Quia diligunt eum &
 obsequuntur ejus mandatis dum norunt in a-
 gnitione sui pastoris vitam eternam consistere
 Job. 17, 3. Et agnoscere Christum, est ex pare-
 facto

facto verbo discere & credere, quod ratione per
 sone sit verus Deus & Homo, ratione officii
 sit noster mediator redemptor, & salvator. Unde
 & agnus, ut habet Isidorus lib. 12. in Joh.
 ab agnoscendo dicitur. Quemadmodum pro-
 pterea Basiliius Hom. 9. Hexaem. suavissime
 scribit: Inter innumeras oviculas agnus ex
 mandra exsiliens novit vocem matris & ad i-
 psam festinat, & proprios lactis fontes requirit:
 & si egenas mammas maternas contigerit, con-
 tentus est illis, multa plena & gravata ubera
 pratergressus: & vicissim mater inter infinitos
 agnos proprium agnoscit. Ut discamus non
 in ignorantia, sed in notitia fidem consistere.

21. Et cognitionis expositio v. 15.
 In quo directe antecedens: Sicut me novit
 Pater. Per comparisonem similium, mutua
 scilicet notitia & dilectionis, quæ est inter Pa-
 trem & Filium, declarat. Pater vero novit
 filium 1. pro naturali ipsius ac substantiali filio
 agnoscendo 2. ardentissime eum diligendo &
 amplectendo, omnia ejus dicta & facta appro-
 bando, 4. in ipsa demum cruce & morte cu-
 ram ejus habendo: cognitione nempe divina
 immensa & in explicabili, ait Cyrillus.

22. Et

22. Et consequens: ita & ego novi Patrem. Nempe 1. pro eterno ac naturali ipsum habendo 2. intime vicissim diligendo. 3. voluntatem eius adimplendo & se ipsi charum esse statuendo. Ita ipse cognoscit patrem per se, nos per illum, inquit Augustin. Tract. 47. in Joh. quia sapientia patris est. Non autem sicut hoc loco est aequalitatis, sed similitudinis, ut non sit de perfectione graduum sive absolute intelligendum, ita enim nemo Patrem novit nisi Filius & cui voluerit revelare Matth. 11, 27. sed de noticia qualitatum seu determinata. Ut ostendatur non esse simulatum amorem inter oves & Christum, sed sincerum & minime fucatum.

23. Indirecte: & Animam meam pono pro ovibus. Hec enim est illa via, qua ovium amicitiam sibi paravit adungere, habet Basilus orat. 16. Ideo vero pro te, addit Chrysologus serm. 40. pastor amorem morte probat, quia cum videat ovibus imminere discrimen, cum gregem defensare non potest: mavult mori, antequam mali de suis ovibus quid videat. Sed quid facimus, quia vita mori non poterat, nisi voluisset? datori enim anima animam quis tollere potuisset nolenti? Ergo voluit, qui se cum mori non posset, occidi permisit. Pastor pro omnibus morte,

X x

qua

qua ovibus imminebat, occurrit, ut auctorem mortis Diabolum, novo ordine captum, caperet, victus vinceret, puniret occisus, & ovibus moriendo viam vincende mortis aperiret. Non ergo gloriantur Iudei: addit Augustin. Tract. 47. in Joh. se vivere potuerunt. potestatem non habuerunt. Sæviant quantum possunt: si ego nolvero animam meam ponere, quid se vivendo facturi sunt? quando verò Christus animam posuit? quando verbum voluit: principatus enim in verbo erat: ibi potestas erat, quando poneret caro animam suam & quando sumeret. Ideoq; non necessitatis erat, sed voluntatis. Ut discamus fidelitatem & amorem Christi simulq; liberans voluntatem in officio redemptorio.

24. Respectu aliarum est extra Ecclesiam Judaicam earum collectio v. 16. In quo probatur bonitas pastoris ex fidelitate, & quidem per rationem ab objecto desumptam, de quo in genere: Et alias oves habeo. Per oves enim intelliguntur Iudei, sed illae erant perditae, quas voce Evangelii querebat & congregabat Matth. 18, 11. Luc 15, 4. Sed & gentiles, antea exclusae & alienae à Republ. Israelis Eph. 2, 4. Matth. 15, 24. erant colligendae: postquam diruta materies Eph. 2, 13. propter impletionem vaticiniorum Gen. 49, 16. quia
apud

apud Deum non est respectus personarum Act.
10, 34. propter exemplorum demonstrationem,
Sic Melchisedek Gen. 14, 18: sic Jobus, Job. 1, 2.
Nahaman 2. Reg. 5, 1, Gibeonita Jos. 9, 29. Ra-
hab. Jos. 6, 22. Ninivite Ion. 3, 5. & inde Apo-
stoli missi in universum mundum Marc. 16, 15.

25. In specie describuntur ratione lo-
ci: quæ non sunt ex hoc ovili. Nempe quod
est sub lege: neq; enim gentes sub lege concludun-
tur, ait Theophylactus in Ioh. non prognata
ex prosapia Abraha secundum carnem. Ut di-
scamus, tamen oves esse, licet non de ovili Iudæo-
rum, modo de ovili Christi.

26. Ratione effecti & officii, quoad
Pastorem: Illas quoq; oportet me adducere.
Nempe ex officio ab aeterno sibi constituto, toti-
esq; à prophetis predicto, quod futurus esset
Christus & gentium salus Ps. 22, 29. gentium de-
sideratus Matth. 21, 6. gentium lumen Es. 49, 6.
Colligit autem mediante voce Evangelii per u-
niversum orbem prædicati. Per se ipsum autem
Christus adducturum promittit, quia per suos,
quia in illis ipse.

27. Quoad oves, respectu officii: &
vocem meam audient, per eam ipsam enim
adducuntur. Unde una est nostra sollicitudo,
habet August. serm. de ovibus c. 1. quæ nobis

664
imponitur, audire vocem pastoris. Quis vero
vox est Pastoris? habet idem serm. de pastore
c. 14. predicari in nomine eius poenitentiam &
remissionem peccatorum per omnes gentes: nam
& per suos ipse loquitur & quos mittit per eos
vox eius audiunt, explicat idem serm. 50.
de verbis Domini. Danda ergo est opera sedu-
lo ut ovicularum naturam imitantes pastores
illi bono placeamus.

28. Et eventum quoad locum: &
fiet unum ovile. Seu unus grex (id enim de-
notat greca vox) ex iudeis & gentibus collectus
Dicitur vero Ecclesia ovile Mich. 2, 13. 1. ob
externam vilitatem Esa. 54, 11. Apoc. 12, 6. 2.
ob gregis disparitatem: quia habet oves & hir-
eos Matth. 29, 33. bonos & malos Matth. 13, 49.
3. ob loci instabilitatem Hebr. 13, 14. 4. denique
ob hostium atrocitatem. Ut discamus non splen-
dorem externum in Ecclesia, quales apparet co-
ram hominibus querendum esse: nam eius decus
intus est Ps. 45, 14. Non vero unitas religionis
inde calligenda est, quia est contra fidelium in
hoc mundo status, ob 1. haeresium multiplicati-
onem Matth. 24, 11. 2. Petri. 2, 1. 2. ob piorum
persecutionem Matth. 24, 7. Luc. 21, 12. 3. ob
securitatis & impietatis inundationem Matt.
24, 12. Inde Lactantius Epist. instit. cap. 10.

Cum

Cum ceperit mundo finis ultimus appropinquare malitia invalescet, omnia vitiorum & fraudum genera crebrescent, iustitia interibit, fides, pax, misericordia, pudor, veritas non erit, interim salvari debent membra Ecclesie, quia est una 1. Cor. 3, 10.

29. Quoad Dominum: Et unus Pastor, Primarius, qui est Iesus Christus, fidelis ille animarum pastor. 1. Petr. 2, 25. quia habet unum caput Christum 1. Cor. 3, 11. unum Patrem Eph. 4, 16. unam fidem Rom. 10, 13. uno regitur spiritu 1. Cor. 12, 4. unam habet spem Hebr. 6, 19. Unum ergo est, inquit Gregorius, tota sancta universalis Ecclesia, à Iesu Christo, suo videlicet capite, constituta. Sint ergo omnes in pastore uno & dicant vocem pastoris unam, moxet Augustinus, quam audiant oves, & sequantur Pastorem suum & non illum aut illum, sed illum. Quare, habet Chrysostomus hom. 48. in Ioh. vos hortor, dilectissimi, sub pastoris nostri custodia in pascuis maneamus. Manebimus autem, si vocem eius audiverimus si ei paruerimus, si alium non sequuti fuerimus.

NOTÆ.

i. Ego sum bonus Pastor] Considera
Et tunc animam te ponere tuam pro ovis
bus,

bus, quando contra mundum, Daemonem, intellectum, voluntatemq; sensum cohibere consentiant in peccata; ut discas potius mori quam peccatum mortale committere.

2. **M**ERCENARIUS fugit] Considera te esse mercenarium, quando in actionibus tuis non permanes constanter; ut discas pugnare adversus lupi insidias & adversus carnem.

3. **E**GO cognosco oves meas] Considera bonum Pastorem cognoscere oves id est virium suarum imbecillitatem & ut discas eas cognoscere quo cognoscaris & diligaris ab ovibus tuis i. e. potentiis anime & corporis: quando divine voluntati obsequuntur.



C A S U S.

An mercenarius Doctor Ecclesiæ & Scholæ, qui salarium accipit?

ITa arbitrantur: 1. quia dicitur operarius dignus mercede sua Matth. 10, 10. 2. quia l. i. §. i. ff. de extra ordinariis premititur: Praeses provincie de mercedibus jus dicere solet; sed Praeceptoribus tantum libe.

liberalium studiorum ibi fit mentio 3. Communiter merces pro salario accipitur.

Contra 1. Non sunt mercenarii, quia hi non boni pastores, sed fugiunt, quum vident lupum Joh 10, 12. sed sunt operarii Matth. 10, 10. 1. Tim. 5, 18. potius. Unde & decimas accipiunt.

2. Jura vocant ipsum mercenarium l. ii. §. i. ff. de poenis. qui suas operas locat, ut habet Tholosanus l. 27. c. i. n. 9.

3. Cicero 1. offic. etiam ita definit, qui quotidie accipit pecuniam. Et Plato eos dicit mercenarios, qui vim roboris vendunt precio lib. 2. de Republ. Varro à merendo, quod manu factum erat & datum pro eo, manu precium, à manu & precio. de L. L. deducit.

4. Literatis quod datur, sive salari-um sive stipendium, honorarium dici placuit Ulpiano, cum sanctissima sit sapientia, nec precio numario estimanda vel de-honestanda l. 4. §. 8. ff. de extra ordina-riis cogniti.

Ad contraria 1. est argumentum à simili, ut quæ admodum illi debeat, sic & do-ctoribus & preceptoribus. Deinde impri-

mus ibi dicitur non de mercede, sed de alimen-
 to ἰσοϕῆ Matth. 10. 10. qualem Chri-
 stus ipse accepit, Luc. 8. 3. sumtumq; à mi-
 litibus, uti Augustinus interpretatur:
 quod quemadmodum boni milites non
 sunt mercenarii, sed obsonium, seu stipendi-
 um accipiunt, ut necessaria vitæ parent &
 in militiâ durare queant; Sic & isti qui mi-
 litant 2. Tim. 2. 3. 1. Tim. 3. 12. propter
 Ecclesie salutem, non propter temporalia;
 victum & amictum accipiunt in eum
 finem, ut in suscepto opere persistere queant
 uti explicatur Gal. 6. 6. 1. Tim. 5. 17. alias
 sequeretur, quia 1. Cor. 9. 9. dicitur: nō alli-
 gabis os bovi trituranti, etiam esse boves &
 triturare.

Ad 2. Ibi non agitur de appellatione,
 sed de juris equalitate, quod æquè præses de
 salario & honorario cognoscere debeat, uti
 de mercedibus.

Ad 3. dicitur sed non propriè: sanè si phi-
 losophi non habent mercenariam operam
 l. 1. §. ff. de variis cognit. neq; alij eruditi
 Bened. de privil. lictorum par. 1. priv. 2. n. 2.

Carpzovius in Respon. l. 2.

resp. 2. n. 13.



AD RESPONDENTEM.

EST animo verè *Forti*, quicumque paratus
Ponere vel vitam, proque salute mori
Christus ait: sum Pastor ego bonus ille, quod
ille,

Qui moritur proprio pro grege, jure bo-
nus.

At quicumque modo ceu mercenarius, ille
Non bonus est Pastor, propria cui nec ovis
Cum lupo accurrit, fugit ocyus, ipse relin-
quit

Omnes, & miserè dilaniantur, oves.

Nec mirum, tantum quia mercenarius: isq;
Non has ut proprias, fas uti, curat oves.

Christus at inquit: Ego bonus is sum pastor:
ovesque

Nosco meas, ovibus notus & ipse meis:

Me Pater ut novit, sic patrem nosco vicissim.

Ac animam pono pro grege sponte meam.

Sunt & oves alie mihi, sed non istud ovile,

Ad quod oportet eas ducere deinde ta-
men,

Hæc;

Haecque meam vocem capient : unumque
proinde

Fiet ovile, simul pastor & unus erit.
Pascere tuas, bone Pastor, oves, lupus ingruit.
Ah me

Et tua sim quod ovis, duc in ovile tuum!
Pluribus ANDREAE proponit talia. Pergat!
Fortis erit pastor, pastor eritq; bonus.

Ita testatur & precatur

GVEINZIUS.



PHALEUCUS.

SUB Patrocinio celebris acri
SGUEINZI, mellifluis liquoris ore
Cui sermo fuit omnis entheati,
Conatu subiens sacrum virili
Prælium, positas theses fideli
Propugnans genii tui favore,
Albo rem facis & lapillo & ostro;
Erdignam proflente Christiano,
Quin palmam decumam Viri reportas.
Ter summus beet, & JEHOVA faxit,
Sub Patrocinio celebris acri
SUBINZII ut tueare sæpe sacra.

lib. libq;

GEORG-CHRISTOPH
DOCKHORN.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017



EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ARUM
LICARUM
esima Quinta
SIDE
GUEINZIO
Hallensis
core
dente
RICO ANDREA
Lufato.
icordias Domini.
B. DC. IIII.
XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX
AXONUM
Melchioris Oel-
gely

62

